Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26088
Copyright: Admont, Benediktinerstift



intentionis. & proximos iuvent officia locutionis. Bene autem
uirtutes circumdari docet gutturi cum uox loquentis potius in gut
ture intus fieri soleat. quia uidelicet predicationis uox de in
ternis emanat sed extra circumdat. Nam quo alios ad bene uiuendum
suscitat eo ad bene agendum & opera predicantis ligat. ne extra
sermonem actio transeat ne uoci uita contradicat. Et inuenies
gratiam & disciplinam bonam coram deo & hominibus. Coram deo
inuenit gratiam & disciplinam bonam qui usu uirtutum iugi prome
retur a domino ut per dies seipso perfectior efficiatur & melior. sed &
coram hominibus inuenit gratiam & disciplinam bonam cuius opera talia
in quibus iure laudetur pater. queque exemplum uiuendi proximis exhi
beant. Habe fiduciam in xpo ex toto corde tuo. & ne innitaris
prudentie tue. In omnibus uiis tuis cogita illum. & ipse diri
get gressus tuos. Ne metuas ob inbecillitatem propriam diuina
non posse seruare mandata. nec te rursum autumes hec tuis
implere uirtutibus posse. uel tua naturali scientia nosse. si non
per illius legem instruaris. sed potius in discendo & agendo eius quere
creberrimum auxilium. & ipse quem iussit propicius ut implere ualeas
donabit. Ne sis sapiens apud temetipsum. Videtur forte alicui
hoc idem esse mandatum quod premissum est & ne innitaris pru
dentie tue. sed multum distat. Innititur enim prudentie sue
qui ea que sibi agenda uel dicenda uidentur patrum decretis preponit.
Sapiens uero est apud semetipsum etiam is qui in illis que ex patrum magiste
rio potuit recte cognoscere. sese per ceteris quasi doctior extollit.
Que sit autem uera hominis sapientia subsequenter ostendit. Time
dominum & recede a malo. Quale est in iob. Ecce timor domini ipsa
est sapientia. & recedere a malo intelligentia. Perfecti etenim
quique ita se debent ab omnibus continere malis ut diuine pre